

LIB. XXII. TIT. I.
 DE USURIS ET FRUCTIBUS
 ET CAUSIS ET OMNIBUS
 ACCESSIONIBUS ET
 MORA.

OBSERV. DCXCIII.

Usura) Usuram ex rationibus oeconomicis inter-
gentes invaluisse, adeoque ejus indolem, sine ad-
miniculo juris Romani, intelligi posse, facile liquet.
 Illud etiam præcise necessarium non est, ut usura sit
ejusdem generis, cum sorte, licet ut plurimum ita ser-
vati soleat, quemadmodum plerumque pecunia nu-
merata, usuræ nomine venit. De tota autem hac ma-
 teria legi meretur GERHARDI NOODT Tract.
de usur. & foen. qui Lugd. Batav. 1698. prodiit.

OBSERV. DCXCIV.

Dividuntur à fine) Nonnulli hanc distinctionem
rejiciunt, quia punitoriæ & compensatoriæ coinci-
dant, lucratoriæ verò moraliter turpes sint, hic vero
usura, ut indifferens, spectetur, vid. STRAUCH. exerc.
18. §. 13. ibique Thomas. Ego non improbo distinctio-
 nem, eamque cum altera sic conjungendam arbitror:
usurae sunt vel Lucratoriæ seu mordentes, vel compen-
satoriæ & non mordentes; hæ sunt vel compensatoriæ
in specie, quæ citra considerationem moræ, in utilitatis
exhibitæ compensationem, vel punitoriæ, quæ ob mo-
ram exiguntur. Ex quibus prima dissentientium ra-
 tio concidit, nec altera valde urget; nam usura etiam
illicita, sub generali usuræ conceptu utique compre-
henditur, cum moralitas à natura usurarum sit di-
stincta.

OB-